



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Franciscus Conf. 4. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

622 VITÆ SANCTORUM. 4. Octob.  
tione non excluditur: quia si in Paradiso  
hominem stravit, quis locus extra Paradi-  
sum esse potest, in quo mentes hominum pe-  
netrare non valeat? In sola ergo Creatoris  
nostri protectione fidendum est. S. Greg. l.  
8. Regist. c. 45.

S. FRANCISCUS CONF. 4. Octobris.

**H**ic vir, hic, FRANCISCUS est, san-  
ctioris spes altera Romæ, & qui unâ  
cum altero Atlante Dominico lapsurum  
orbem firmavit. Mercator adhuc fœnus  
facere etiam apud pauperes scivit, neque  
unquam pluris vendidit sua, quam cum  
gratis dedit. Evocatus in somno ad ar-  
ma cruce insignita, cum novam militiæ  
tesseram non agnosceret, ab ipso Cru-  
cifixo est edoctus. Ducem itaque nudum  
Christum secutus, primam pugnam (uti  
ferè amat fieri in hoc sacro bello) cum  
patre habuit. Et vicit avaritiam pater-  
nam, cum non tantum omnibus bonis,  
sed etiam vestibus se coram Antistite  
exuit, illis verbis hostem proffernens:  
*Patrem hæcenus te dixeram: nunc deni-  
que nihil intercedit, quin verius dicam,  
Pater noster quies in calis.* Quis credat?  
Sic nudus tam denique armatum se pro-  
bè credidit, & scriptis sociis orbem ex-  
pugnavit: expugnatum, si agnoscimus,  
paupertate suâ ditavit. Porro animi can-  
dozem in viro, scis Lector, nives pro-  
ba-

barunt, in quas se abjecit, & miratæ puritatem sunt undæ, quibus calorem improbum merfit. De animi ejus submissione quid dicam, & quo DEUM ardebat amore? Seraphinis à cælo sociatus, & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat, locandus, ultimum se mortaliū, sed inter sceleratos principem dixit. Mariæ addictum fuisse ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiunculâ dixerunt) abstulit. Sed frustra sum. Herculem ego in hâc digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viri? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicias. *Ex D. Bonav.*

*O quàm gloriosum & magnum, habere in cælis patrem! ô quàm sanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere sponsum! ô quàm sanctum & quantum delectabile, bene placitum, humile, pacificum, dulce & amabile habere talem Fratrem, qui posuit animam suam pro orbibus suis? Ex Epist. S. Francisci.*

S. THERESA V: 5. Octobris.

Quid, heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? disce, eia infantia rectè vel ab infante THERESA fari. *In æternum! in æternum! in æternum!* ah quoties balbutiens clamitavit! Nos scilicet puerilem senectam,  
 non